IO. SALOMONIS BRVNQVELLII D.

PROFESS. PANDECT. PVBL. ORD. CVRIAE PROVINCIALIS SAXON. FACVLT. IVRID. ET SCABINOR. ORD. ASSESSORIS NEC NON H. T. DECANI

PROGRAMMA DE SOLEMNIBVS IN EXECVTIONE SENTENTIARVM CAPITALIVM A ROMANIS ADHIBITIS

CLARISSIMI SVMMORVM IN IVRE HONORVM CANDIDATI

CHRISTOPHORI. FRIED. POPPIGII

ALTENBVRGENSIS

INAVGVRALI DISPVTATIONI

DE

CONSTITVTIONE SIVE FORMA IVDICIORVM CRIMINALIVM SOLENNIVM

Von

Hegung derer Nothpeinlichen und Hoch-Nothpeinlichen Halßgerichte,

PRAEMISSVM

IENAE A. R. S. MDCC XXXIII.

IENAE, LITERIS HORNIANIS.





Entem Romanam, a qua aequissimas leges accepimus, non tantum iustitiae aequitatisque, sed & rituum atque formularum solemnium studiosissimam fuisse, haud facile quis in dubium vocabit; Nullum enim erat negotiorum genus, nullum pactum illa inibat, nullum contractum celebrabat, aut aliud quid peragebat, quod non certis, solemnibus ac legitimis verbis explicandum, arbitraretur (*). Quae cum ita sint, facile est

* Quod prae ceteris BARNABAS BRISSONIUS, ICtus omni laude superior, in praeclaro: *De formulis & solemnibus Populi Romani verbis*, opere, Paris. 1583. edit. & saepius recuso, docuit. add, Exc. HEINEC-

ad intelligendum, etiam executiones sententiarum capitalium suis solemnibus, de quibus in praesentiarum, occasione dissertationis inauguralis: *De Constitutione siue Forma Iudiciorum Criminalium Solennium*, quam Nobilissimus Dominus Candidatus,

CHRISTOPHORVS FRIDE. POPPIGIVS ALTENBVRG.

publice defendet, pauca quaedam, more recepto, in chartam coniiciam, haud vacasse. Docent autem nos scriptores Romani, qui antiquitates atque historiam suae gentis posteritati tradiderunt, ad Triumuirorum Capitalium, qui etiam Triumuiri simpliciter dicebantur, PLAVTVS (*):

Quid faciam nunc, si Tres viri me in carcerem compegerint,

& Curio Dentato Consule, de Samnitibus triumphante, creati fuerunt (**), munus olim pertinu-

CII oratio: *De Iurisprudentia Romanorum formularia ritibusque, quibus negotia ciuilia explicabant*, Franeck. 1724. recit.

* In Amphitr. I. 1. 2.

** Sic enim FLORVS Epitom. Liuii L. 11. *Curius Dentatus Consul*, ait, *Samnitibus caesis & Sabinis, qui, rebellauerant, victis & in ditionem acceptis, bis in eodem magistratu triumphauit. Coloniae deductae sunt*, Ca-

tinuisse, sententiam criminalem exequi. Quum enim animaduerti oporteret, eorum interuentu id fieri, teste POMPONIO (*), necesse erat. Non autem Triumuiri ipsi de capitali crimine cognouerunt, nisi quod de seruis, furibus aliisque abiectae conditionis hominibus ius dixerint, inque illos apud Columnam Meniam animaduerterint (**); Vnde adolescens ille apud PLAVTVM (***), cui cum scorto negotium fuerat, dixit:

Ibo ego ad Tres viros, vestraque ibi nomina
Faxo erunt.

nec etiam illi propria manu criminalem sententiam executi sunt, vti quidem nonnulli, moti ver-

strum, Sena, Adria, Triumuiri Capitales tunc primum creati sunt add. IAN. GVILIELM. de Magistr. Pop. Rom. apud ALB. HENR. de SALLENGRE T. III. Thesaur. Antiquit., Roman p. 987.

* L. 2. §. 30. D. *de orig Iur.*

** Ita Asconius Cicer. pag. 36. *Vt fures, & seruos nequam*, ait, *qui apud Triumuiros Capitales apud Columnam Meniam puniri solent.* De eadem Columna intelligendus est CICERO pro Cluentio cap. 13. Dum inquit: *Manilium plerique noratis, non ille honorem a pueritia, non studia virtutis, non vllum existimationis bonae fructum vnquam cogitarat, sed ex petulanti atque improbo scurra in discordiis ciuitatis ad eam columnam, ad quam multorum saepe conuiciis perductus erat, tum suffragiis populi peruenerat* vid. CASTAL. a. GRAEVIVM Tom. IV. Thesaur. Antiquit. Roman. p. 1944.

*** In Asinaria Act. 1. scen. 2.

verbis VALERII MAXIMI (*): *Fannii ſeruus Alexander - - - - a L. Calpurnio Triumuiro in crucem actus eſt*, & alio loco (**): *Sanguinis ingenui mulierem praetor apud Tribunal ſuum crimine damnatam, Triumuiro in carcere necandam tradidit*, exiſtimarunt, ſed tantum iis iubentibus & praeſentibus, vel, vt memoratus POMPONIVS recte expreſſit, *eorum interuentu* hoc peractum fuit. Optime omnium laudatus VALERIVS MAXIMVS loco modo citato haec expoſuit, dum inquit: *Sanguinis ingenui mulierem Praetor apud tribunal ſuum capitali crimine damnatam Triumuiro in carcere necandam tradidit. Quo receptam is, qui cuſtodiae praeerat, miſericordia motus, non protinus ſtrangulauit; Aditum quoque ad eam filiae, ſed diligenter excurſae, ne quid cibi inferret, dedit: exiſtimans futurum, vt inedia conſumeretur; Cum autem iam dies plures intercederent, ſecum ipſe quaerens, quidnam eſſet, quod tamdiu ſuſtentaretur; curioſius obſeruata filia, animaduertit, exerto vbere famem matris lactis ſui ſubſidio lenientem. Quae tam admirabilis ſpectaculi nouitas ab ipſo ad Triumuirum, a Triumuiro ad Praetorem, a Praetore ad Concilium iudicum perlatum, remiſſionem poenae mulieri impetrauit*; Ex hocce enim VALERII MAXIMI loco, Triumuiros crimina ad Praetorem detuliſſe; Praetorem conſilium atque iudices coëgiſſe, iudi-

* Lib. VIII. c. 4. ** Lib. V. c. 4.

dices in Consilium misisse, & Triumuiris iterum, latae a iudicibus sententiae executionem demandatam fuisse, discimus. Verum, quemadmodum progressu temporis ceteri magistratus, substitutis aliis, abrogati fuerunt, ita etiam Triumuirorum Capitalium munus sub Augusto ad Praefectum Vigilum translatum est (*); Imo, quum Praefecti Vigilum paullatim ipsi se furibus sociarent, Imperator IVSTINIANVS, suppresso hocce Magistratu, eam curam Praetori Plebis mandauit (**), simulque ei ius gladii, quod Praefecto vigilum non fuit concessum (***), dedit (*). Veniente autem executionis die primum classicum canebatur. Ritus valde antiquus, quo populus classico i. e. tubarum sono conuocabatur. PROPERTIVS (**).

Buc-

* V. SVETONIVS in vita Augusti cap. 30. Descript. vrbis Romae a. GRAEVIVM Tom. III. Thesaur. Antiquit. Roman. p. 329. & M. AVGVSTINVS CAMPIANVS de officio & potestate magistratuum Rom. p. 239. seqq. De eius officio VLPIANVS & PAVLLVS libris singularibus tractarunt, quorum fragmenta sub Tit. *D. de Offic. Praef. Vigil.* habemus.

** v. Nouella XIII.

*** Obstare equidem nostrae sententiae videtur L. 15. D. *de condict. causs. data causs. non sec.* sed vitiosam eius lectionem, erroremque ex male intellectis siglis commissum esse, Ictus eximius GERARD NOODT Lib. II. Probab. c. v. monuit.

* vid. Nou. XIII. c. 2. 3 & 4.

** IV, 1. 13.

Buccina cogebat priscos ad verba Quirites

Clasfica enim a calando i. e. vocando dicta sunt (*). Canebatur autem non tantum Classicum, quoties populus conuocandus, aut miles ad pugnam incitandus (**), sed etiam cum ciui rei capitalis dies dicta esset, & quidem in celeberrimis vrbis locis, postremo vero ante ianuam damnati. Sic enim PLVTARCHVS (***) *Patrius nobis mos est*, ait, *siquis capitis accusatur, neque ob-audit, ad eius fores mane tubicinem ire & classicum canere, nec ante iudices sententiam de eo ferre* & TACITVS (*) *In P. Martium*, inquit, *Consules extra Portam Exquilinam, cum classicum canere iussissent, more prisco aduertere.* Deinceps nocens extra vrbem & ante Portam Metiam siue Esquilinam, ne scilicet frequenti caede ac sanguine contaminari oculi ciuium, aut delibari videretur libertas, ducebatur; PLAVTVS (**):

Illum aedepol videre ardentem te extra portam Metiam
Credo ecastor velle.

&

* Testibus VEGETIO II. de re milit. 22. & PETRONIO in fragm. edit. Burmann. pag. 688.

** Classicum autem, quippe quod inter summi Imperii insignia erat, non nisi apud Imperatorem exercitus canebatur v. IVL. CAESAR de Bello Ciu. III. 82. & VEGETIVS I. de re milit. 22. *** in Gracchis.

* Lib. II. Anal. cap. 32. Ibique LIPSIVS in notis addatur SENECA de Ira Lib. I. c. 16.

** Cas. II, 6, 2. add. IAC. GVTHERIVS de Iure Manium L. 19.

& HORATIVS (*):

Vos turba vicatim hinc & hinc saxis petens
Contundet obscoenas anus.
Post insepulta membra different lupi
Et Esquilinae alites.

& ab eo interdiu in omnium oculis, ad exemplum terroremque aliorum, supplicium sumebatur. Hinc SENECA (**): *Quid tam inauditum, quam nocturnum supplicium?* inquit, *cum latrocinia tenebris adscondi soleant animaduersiones, quo notiores sunt, plus ad exemplum, emendationemque conficiunt.* Antequam vero carnifex officio suo fungeretur, Praetor tribunal ascendebat, noxiae post terga ligabantur manus, fiebatque a Praecone silentium. Officium enim Praeconis in genere

B

* Epod. v. 99. Vnde etiam carnifex domicilium extra vrbem habebat. CICERO in oratione pro Rabirio: *Sed moreretur prius acerbissima morte millies Grachus*, ait, *quam in eius concione carnifex consisteret, quem non modo foro, sed etiam cœlo hoc ac spiritu Censoriae Leges, atque vrbis domicilio carere voluerunt.* add. H. F. SALOMON de Iudiciis & poen. Rom. c. 15. & 16. Tom. III. Thesaur. Antiqu. Rom. Sallengriani p. 637.

** de Ira III. c. 19. Hinc ab eodem c. 18. Caii Caligulae Imperatoris saeuitia notatur, *quod quosdam ex illis cum matronis atque aliis Senatoribus ad lucernam decollaret.* add. PETR. FABER II. semestr. 9.

nere erat, ſilentium indicere. Hinc PLAVTVS ait (*):

Exſurge Praeco, fac populo audientiam

in ſpecie vero & quod ad ſupplicia reorum pertinet, moris erat, ſub praeconis elogio, ſeu, praecone cauſſam condemnationis ſuperdicente, de damnatis poenas exigi. Praeco autem vel viua voce, vel per inſcriptionem crimen exponebat, cuius cauſſa in ſontem animaduertebatur; Sic LAMPRIDIVS de Alexandro Seuero Imperatore narrat (**): *Turinum fumi venditorem fumo appoſito, quem ex ſtipulis, atque humidis lignis fieri iuſſerat, necauit, praecone dicente, fumo punitur, qui vendidit fumum.* De inſcriptione obuii etiam ſunt loci, inſtar multorum erit MARTIALIS (***) vbi delator traducitur per vrbis porticus cum titulo, in quo crimen falſae delationis, ſycophantiae & calumniae continetur:

Turba grauis paci, placidaeque inimica quieti
Quae ſemper miſeras ſollicitatus opes,
Traducta eſt titulis,

De-

* In Poen. prol. n. 11. Quando autem Praeco populo facere audientiam iubebat, formula ſolemnis haec erat: ἀκούετε λαοὶ vid. LAVRENTIVS de Praeconibus c. 1.
** In huius Caeſaris vita cap. 36.
*** Lib. I. epigram. 4.

Deinde Praeco iussu magistratus lictores in suppliciis exigendis Lege agere iubebat. Ita LIVIVS (*) cum de Fuluii Consulis Romani animaduersione in Campanos Senatores, capta Capua, quaedam narrat; *Praeconi imperauit, vt lictorem lege agere iuberet*, addit, & vbi de Taurea Iubellio, securi percusso iussu Fuluii, agit (**); *sub haec dicta*, inquit, *iussu Proconsulis praeconem pronuntiasse: Lictor, viro forti adde virgas, & in eum lege primum age.* Fuisse autem legitima suppliciorum verba, scriptores Romani nos edocent. Ita Priscis temporibus Magistratus Populi Romani, vt de reo supplicium sumeretur, NVDARI ET SPOLIARI REVM, VIRGAS item & SECVRES EXPEDIRI, lictoribus iubebant, vti ex LIVIO (***) CICERONE (*) VALERIO MAXIMO (**) aliisque scriptoribus Romanis constat, in specie autem lictori de perduelle supplicium, more maiorum, sumere, hisce verbis praecipiebatur: I LICTOR, COLLIGA MANVS; CA-

* Lib. XXVI. c. 15.
** ibid. cap. 16. add. SAMVEL PITISCVS in Lexico Antiquit. Roman. voce *Praeco*.
*** Lib. II. 55. III. 45 & IX. 16.
* Lib. V. in Verrem c. 26.
** L. II. Memorabil. c. 2.

PVT OBNVBITO: INFELICI ARBORI SVSPENDITO (*); Verum licet triste hocce carmen non solum tenebris vetustatis sed etiam luce libertatis teste CICERONE (**), suppressum fuerit: nihilominus tamen etiam posterioribus temporibus certa atque legitima verba a Romanis in executione sententiarum capitalium adhibita fuerunt. Ita SENECA (***) describens, qualiter Flaminii Praetoris iussu, ad meretricis libidinem, ex damnatis vnus decollatus esset, inquit: *Ascendit Praetor tribunal, inspectante prouincia: noxiae post terga ligantur manus, stat intento ac tristi omnium vultu, fit a praecone silentium. Adhibentur deinde legitima verba.* Ea vero, qualia essent, idem auctor (*) hisce verbis significat: *In descriptione supplicii vtique illi, qui voluerunt omnia legitima supplicii verba in sententias trahere, in vitia inciderunt: tanquam dixit Triarius, SVMMOVE, AVDIS LICTOR, SVMMOVE a Praetore meretricem. Hoc loco non male adiecit verbera. Sed vide ne virgae tuae pocula nostra disturbent. Sylo Pompeius*

* vid. LIVIVS I. 26. add. BARNAB. BRISSONIVS de formul. Lib. v. n. 217.

** In Orat. pro C. Rabirio perduell. reo. cap. 4.

*** Lib. IX. Controuers. 2.

* Controu. cit.

peius dixit, DESPOLIA: meretrix, agnoſcis hoc verbum? certe prouincia agnoſcit. Sylo Pompeius homo qui iudicio cenſebatur, & ipſe ad hanc deſcriptionem acceſſit, nimium tamen mali fecit, ait, ANIMADVERTE MERETRIX, AGE LEGE. Quicquam enim lege hic agitur. Hiſpanus dixit, AGE LEGE, Tibi dicitur Flamini, viue ſine meretrice, coena ſine carnifice. Argentarius in quae ſolebat ſchemata attrectationem violentiſſimam fregit, AGE LEGE, inquit, ſcis quid dicat? Interdiu AGE, IN FORO AGE. Atque haec ſunt ſolemnia & legitima illa verba apud eundem auctorem, dum ait (**): *Itaque etſi peruerſa induenda magiſtratui veſtis & conuocanda claſſico concio eſt, procedam in Tribunal, non furens nec infeſtus, ſed vultu lenis & illa ſolemnia verba graui magis, quam rabida voce concipiam & AGI IVBEBO non iratus ſed ſeuerus.* Vltimo & ſi omnia haec peracta eſſent, ſpeculator, qui carnificis officium in reis capite damnatis decollandis peragebat, munere ſuo fungebatur, ſuppliciumque capitale de reo ſumebat; Ita SENECA (*) *Extra vallum*, ait, *deductus & iam ceruicem porrigebat, cum ſubito apparuit ille commilito, qui occi-*

* de Ira. I. 16. add. BARN. BRISSONIVS de formulis l. cit.
** *de Ira I. 16.*

ſus videbatur. Tunc centurio ſupplicio praepoſitus, condere gladium ſpeculatorem iubet; & VLPIANVS Ictus (*)? *Ita neque ſpeculatores vltro ſibi vindicent, neque optiones ea deſiderent, quibus ſpoliatur, quo momento quis punitus eſt.*

Breuiter haec praefari volui, occaſionem nactus a Nobiliſſimo Domino noſtro Candidato, qui laudatiſſima legere veſtigia intendit non modo beati parentis ſed & aui materni. Lucem autem ille adſpexit Altenburgi anno reparatae ſalutis M DCC IV. die XXVII. Iul. Patrem poſt fata nunc veneratur virum Prae-Nobilisſimum atque Conſultisſimum CHRISTOPHORVM POPPIGIVM I. V. D. primum Ciuitatis Altenburgenſis Syndicum nec non Aduocatum Aulae ordinarium, deinceps vero Praefecturae Altenburgenſis Adiunctum meritisſimum. Mater, quae ante breue tempus e viuis excesſit, fuit MARIA ESTHER, IO. BERNHARDI FRIESII Conſiliarii Aulici & Conſiſtor. Iſenacenſis Pandect. Prof. Publ. Ord. Curiae Prouinc. Saxon. Facult. Iurid. & Scabin. Ordin. Asſeſſoris quondam Excellentisſimi filia. Primum a do-

* *L. 6. D. de bon. damnat.* add. SVETONIVS in Auguſto cap. 27. n. 4. & IAC. RAEVARDVS III. Conieȼt. cap. 14.

domeſticis praeceptoribus Donnero & Schumanno ad morum & eruditionis elegantiam formatus eſt, deinceps in Gymnaſio Altenburgenſi traditus eſt diſciplinae virorum, omni ingenii cultu ornatisſimorum, nimirum Williſchio, Frieſio, Sternio, Wahlio, Ackero, Webero, nec non etiam Koenigio, quorum omnium dexteritatem & in ſe merita grato depraedicat animo. Sic in Gymnaſio patrio iis ſtudiis, quae ab humanitate nomen habent, inſtructus, & ad grauiores diſciplinas praeparatus, ad ſtudia Academica ſeſe conuertit & Salanam noſtram A. C. M DCC XXIII. adiit, ibidemque in Philoſophicis & Phyſicis STOCKIVM, WIEDEBVRGIVM, SYRBIVM & HAMBERGERVM, in Hiſtoricis MARTINVM SCHMEITZELIVM nec non CHRISTIANVM GOTTLIEB. BVDERVM Profesſores publicos clarisſimos atque Excellentisſimos audiuit. Tandem omni animi ardore in Iuris ſcientiam delatus, recitationibus celeberrimorum Iurium Doctorum ſedulo interfuit, & quidem Ius priuatum ab ore DIETMARI Conſiliarii Saxonici, nec non FRIESII I. V. D. & Practici celeberrimi, & futuri ſui ſoceri hauſit, in Iure publico vero Excellentiſſimum atque celeberrimum noſtrum STRVVIVM praeceptorem laudat. Poſteaquam itaque quinquennium Iuris abſoluit, Altenburgum repe-

repetiit Dominus Candidatus noſter, ibique, quae didicerat, ad vſum & praxin transferre ſtuduit. Vt vero, beati parentis atque aui virtutibus excitatus, ſummos in vtroque Iure honores modeſte ambiuit: ita admisſus ab Ordine noſtro ad conſueta examina, ea dexteritate textus aſſignatos reſoluit, & ad quaeſtiones propoſitas reſpondit, vt omnium conſenſu dignus iudicatus fuerit, cui ad diſputandum pro gradu Doctorali ſub praeſidio Excellentiſſimi HERTELII noſtra aperiretur cathedra. Cui actui vt MAGNIFICVS ACADEMIAE PRO-RECTOR, ILLVSTRISSIMI COMITES, Proceres & hoſpites omnium ordinum honoratiſſimi, denique Generoſa & Nobiliſſima ſtudioſae inuentutis corona intereſſe velint, Collegii noſtri nomine decenter rogantur, inuitantur. P.P. Ienae die Iun.

M DCC XXXIII.



